

§. XIII.

Si porro existat quaestio, quid sit γεύειν τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπιγραφής, gustare donum caeleste? obseruandum est, quod vocabulum γεύειν proprie denotet gustare, gustus aliquid experiri, edere; inproprie sensatio, seu experientia quae fit per gustum, ponitur pro perceptione mentis conf. I. Pet. II, 3. Mat. XVI, 28. Lucae VIII, 27. et Cel. SCHWARZIVM in Com. Gr. L. p. 281. Si omnes huius vocabuli significatus, a Cel. SCHWARZIO l. c. accurate recensitos, quis perpendat, facile perspiciet, quod nullus eorum huc trahi possit commodius, quam ille, quo notat perceptionem animi: Nec tamen perceptio qualiscumque hic est intelligenda, nam qui quodcumque donum caeleste sunt experti, (§. XIII.) non qualicumque ratione, sed intime ad deum fuerunt conuersi; qui intime ad deum sunt conuersi, dona diuina intime et efficacissime percipiunt, ergo intima ac efficacissima perceptio hic innuitur. Sunt ergo γευσάμενοι τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπιγραφῆς ii, qui dei dona, quibus vere credentes cumulare solet, animo probe perceperunt, qui eorum vim atque efficaciam bene sunt experti, qui gaudio isto ex remissione peccatorum oriundo, pace conscientiae, aliisque eiusmodi donis spiritualibus largius fuere perfusi, iisque sunt fruiti. Ab iis ergo hic recedendum est interpretibus, quos excitat Reu. WOLFIUS Cur. Phil. ad h. l. qui in ea sunt opinione, quod vocabulum γέυεσθαι hic denotet primis saltem labris degustare, leuiter aliquid experiri, quodque eiusmodi hic describantur homines, qui in initiis conuersionis subsistunt, et efficaciam diuinam, quae in conuertendis hominibus se exserere solet, aliquantulum saltem persenserint. Hoc equidem non temere negauerim, quod mo-